

Die Urkunden Pippins, 30

Pippinus rex Francorum vir illuster. Si petcionibus sacerdotum vel ancillarum dei, quod pro eorum quietem vel iuvamen pertinet, libenter obaudimus vel ad effectum in dei nomine mancipamus, regia consuetudine exercemus et nobis ad laudem vel stabilitatem regni nostri in dei nomine pertinere confidimus. Igitur venerabilis vir Albertus abbas de monasterio Epternaco, quod est constructum in pago Bedense super fluvio Sura in honore sancte Trinitatis et sancti Petri, quod sanctus Willibrordus episcopus suo opere edificavit, ubi ipsius corpus requiescit vel ipse Albertus abbas unacum congregatione monachorum sub sancto ordine conversare videtur, missa petcione clemencie nostri regni suggestit, ut omnes villas vel curtes suas vel homines monasterii sui, quod presenti tempore videtur habere aut inantea a deo timentibus hominibus fuerint collate vel condonate vel suscepit vel qui pro ipso monasterio sperare videntur, unde legitimo redebit mitio, sub sermone tuacionis nostre vel emunitatibus ipsius monasterii sui [recipere deberemus; qui nos] hoc gratante animo prestitisse vel in omnibus recepissemus cognoscite. Quapropter per presens decrevimus ac iubemus preceptum, ut neque vos neque iuniores seu successores vestri nec missi de palacio nostro discurrentes nec ullus quislibet de iudicaria potestate in curtis vel in villis ipsius monasterii ad causas audiendum nec fideiussores tollendum nec mansiones aut paratas faciendo nec homines ipsius ecclesie distringendum nec ulla redibitione requirendum ibidem ingredi non presumant, sed sicut ipse beneficius antecessorum regum a iam dicto monasterio usque nunc fuit conservatum, ita deinceps per nostram auctoritatem maneat inconvulsum, nisi ut liceat eis per nostra preceptione vel nostra emunitate quietos vivere vel residere et die noctuque pro nobis vel pro regni nostri [stabilitate] domini misericordiam iugiter deprecari. Et ut hec auctoritas firmior habeatur et per tempora melius conservetur, manus nostre subscriptionibus vel signaculis subter eam decrevimus affirmare.